

mentosa commoda ostendimus. Deinde rei esse credit haud difficilis, quam maximis impeditiōibus ac scopolis expositam esse, nos sumus professi.

§. LXI. Sed nouum hoc stentoris illius specimen est, vltra crepidam apud imperitam iuuentutem sapere velle.

§. LXII. Nos principatum quorumuis administratos (c) summopere rogamus, velint symbola sua in hac parte nobiscum conferre, vt *praetensionum illustrium systema*, quod meditamur, plene ac suo quodam decore in publicum emittere queamus.

*Incisum IV. de eo, quod principes quidam habent iure praecipui.*

§. LXIII. *Quartum* caput singulorum principatum PRIVILEGIA & PRAEROGATIVAS habet. Ipsa nominum ratio indicat, ea hic tractanda esse, quae cuique principatui vere *propria* sunt & iure *praecipui* debentur. Hinc quidam Ictus Saxonicus arguendus est. Is enim in tractatu, quem de praerogatiuis domus Saxonicae promittit, ea sine discrimine conquirat, quae huic cum aliis Germaniae proceribus prorsus communia sunt, vtpote territorii, sacrorum, aliaque iura in communi iuris publici doctrina satis expedita. Nobis alia hic via ineunda fuit.

§. LXIV. Diplomata, temporum ac historiae rationes consulimus, vt intra haec tantum versaremur, quae singulare aliquid ab aliisque diuersum in suo recessu haberent.

§. LXV.

(c) *De coeptis controuersis loquor: non vero de illis, quae in herba latent in principumque tabulariis. Primi certe generis lites rerum administrari suggerere debent Doctoribus academicis, vt in fauorem partis suggerentis in publicum prodantur. Interest enim Principum, vt iusti non solum sint: verum etiam huius virtutis famam habeant, quam spergere in orbem solent academici scriptores. Id moneo rogoque maecenates, vt volumina vel gratis transmittant, vel in transmittendo vtantur nudinis Lipsiensibus vel etiam essedariis. Nam celeres principum (die ordinari: Post) nuncii sunt in hoc genere nimis sumtuosi.*